FLORA.

55. Jahrgang.

№ 30. Regensburg, 21. Oktober 1872.

Inhalt. Dr. J. Müller: Lichenum species et varietates novae. — Nekrolog. — Literatur. — Bekanntmachung. — Einläufe zur Bibliothek und zum Herbar.

Lichenum species et varietates novae,

auctore Dr. J. Müller.

1. *Physcia stellaris* v. *aipolia* f. *megalocarpa* Müll. Arg. Apothecia 3½—6½ mm. lata, grosse undulato-lobata, fusco-atra, nuda.

Forma pulcherrima. Thallus suborbicularis, 2—4 poll. latus. Stratum corticale et medulla K intense flavescunt. Sporae circ. 20 μ.[1]) longae. — E reactione thalli ad *Physciam aipoliam* Nyl. referenda esset, sed duce cl. Th. M. Fries (Lichenogr. Scand. 1. p. 139) species nonnisi charactere chemico, et hoc loco insuper vacillante (fide Th. Fr. l. c.) distinctas pro genuinis et legitimis habere non possum. Reactiones physiologici, nec systematici ordinis sunt.

Habitat ad truncos Fagi in adscensu montis Reculet prope Genevam.

2. *Placodium cretaceum* Müll. Arg. in Flora 1867 p. 434, a cl. Arnold in Flora 1871. p. 193 secundum reactionem thalli synonymon declaratum fuit *Lecanorae pruiniferae* Nyl. Lichens du Jardin du Luxembourg in Bull. de la soc. bot. de France 1866, v. 13 p. 368 in notula, i. e. *Lecanorae pruinosae* Chaub. in Saint-Amans Flore Agenaise p. 495 (1821), sed planta mea nuperrime cum specimine archetypico Chaubardiano in hb. Delessertiano servato comparata specifice diversa evadit, differt enim a Lecanora pruinosa Chaub., cui caeterum satis similis, thallo crassiore, magis

1) $\mu = \frac{1}{1000}$ mm.

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03639-0467-3

cretaceo-albo, apotheciis evolutis duplo et ultra latioribus, magis subinnato-adpressis, margine valde undulato, disco caesio- (nec carneo-) pruinoso, madefacto sub pruina leviter fuscescente (nec statim laete helvolo-fuscescente) et dein epithecio distinctissimo fulvo-fusco, 10—14 μ. lato (nec lamina usque ad apicem paraphysium incolore) nec non sporis majoribus et ambitu magis oblongis 8—14 (nec 6—8) μ. longis. — Ex forma, magnitudine et colore apotheciorum primo intuitu facile a laudata specie distinguitur.

3. *Amphiloma elegans β muscicolum* Müll. Arg. Thalli laciniae laxiuscule pulvinulis muscorum instratae, sublatiusculae sed discretae, turgidae, sporae turgidae.

Thalli laciniae breviusculae et discretae ut in var. *γ discreta*, sed magis validae fere ut in *α orbiculari*, magis torulosae, caeterum miniato-aurantiacae v. etiam fulvo-aurantiacae. — Habitu medium tenens inter *α* et *γ*, sporae tamen ambitu latiores, vulgo dimidio, rarius fere duplo longiores quam latae.

Habitat supra pulvinulos Schistidii in rupium calcarearum fissuris montis Reculet, ubi jam anno 1863 legi.

4. *Lecanora* (sect. *Eulecanora*) *Salevensis* Müll. Arg. Thallus tenuiter tartareus v. cartilagineo-tartareus, rimoso-areolatus, cinereo v. ochroleuco-albidus, areolae planae v. concaviusculae, laevigatae, parvae; hypothallus nigricans. Apothecia primum depressiones concavas immarginatas coeruleo-nigricantes $\frac{2-3}{10}$ mm. latas simulantia, dein emergentia et margine thallode albido cincta, evoluta arcte adnato-sessilia, $\frac{4-6}{10}$ mm. lata, disco orbiculari v. obiter anguloso mox intense cinereo-pruinoso, interdum zeorino insignita, prominenter albido-marginata. Lamina 80—90 μ. alta, hyalina, epithecium fuscum, hypothecium hyalinum v. pallide fuscescens; asci obovoideo-cylindrici, apice pachydermei. Sporae octonae, 9—14 μ. longae, $1^1/_2$-plo v. fere duplo longiores quam latae, obvoideae v. ellipsoideae, utrinque rotundato-obtusae, simplices et hyalinae.

Totus primo intuitu initium cujusdam lichenis simulat, sed abundanter fructificat et sporas bene evolutas offert. Hypothallus nunc lineas limitantes, nunc amplo-reticulatas format. Thallus K flavescit et subinde supra et intus K intense sanguineo-tingitur. Apothecia juvenilia innata ut in *Aspicilia lactea* Mass. Symm. p. 26, sed aliter colorata, nec sicca nec madefacta fuscescentia, sed coeruleo-nigricantia et dein emerso-sessilia, nec semper innata, C non mutata. Ambitus sporarum caeterum longe amplior, ut in

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03639-0468-9

Hepp Sporenabbild. Fl. Eur. t. 103. fig. 905, et sporae majores quam in laudata *A. lactea*. *A Lecanora minutissima* Mass. longe distat. Ex apotheciis evolutis evidenter juxta *Lecanoram rimosam* ponenda est, a qua habitu tamen, praesertim junior, valde differt, apothecia multo minora, tenuiora, evoluta nec coerulescenti- nec carneo-pruinosa, et thallus minute conferto-areolatus.

Habitat in monte Salève ad lapides calcareos pascuorum cum *Lecanora atrata* et *Pertusaria degradata*.

5. *Lecanora* (sect. *Aspicilia*) *calcarea* f. *leucaspis* Müll. Arg. Thalli areolae discretae, subdistantes, convexae, virescentes, superficie laeves, nec farinosae, medio apothecia sorediiformia caesio-nivea parvula gerentes.

Apothecia evoluta demum ut in var. *caesio-alba* Flk. (Krempelh. Lichenenfl. Bay. p. 176), sed areolae thalli discretae et convexae. Sporae subglobosae, 20—23 μ. longae. — In dispositione varietatum ab egregio Krempelh. (l. c.) clare expositarum juxta v. *cinereo-virentem* locanda est, a qua apotheciis haud nudis praesertim differt. — *Secoliga leucaspis* apothecia hujus var. quoad colorem satis refert.

Habitat ad saxa calcarea montis Salève supra vicum Monnetier.

— — f. *subochracea* Müll. Arg. Thallus rimoso-areolatus, areolae planae v. medio subdepressae, ochraceae v. ochraceo-virides, superficie laeves, non farinosae; apothecia sorediiformia, intense albo-caesio-pulverulenta.

Thallus ut in *Aspicilia contorta α viridula* * * *ochracea* Krempelh. Lichenenfl. Bay. p. 176, sed apothecia ut in *β caesio-alba* ejusd. l. c.

Habitat ad saxa calcarea montis Salevulae (Petit Salève) supra Monnetier, cum simili *Catillaria lutosa*, *Lecanora flavida*, *Verrucaria lecideoide* et *Rinodina Bischoffii* v. *immersa*.

6. *Lecanora* (sect. *Aspicilia*) *subnivea* Müll. Arg. Thallus tenuiter tartareus, niveus v. coerulescenti-niveus, rimulosus v. tenuiter areolatus, margine saepe subarachnoideo-effusus, interdum linea coerulescenti-nigra limitatus; areolae contiguae, planae, monotricarpicae, laevigatae, opacae; hypothallus ater praesertim inter areolas hinc inde perspicuus. Apothecia $\frac{3-4}{10}$ mm. lata, thalli areolis immersa, angulosa, thallo ipso marginata v. demum margine thallino distincto haud emergente sed a thallo ambiente ruptolibero obtuso cincta, obscure fusca, madefacta pallidius fusca.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03639-0469-7

Lamina et hypothecium pallida, epithecium pallide fuscum; paraphyses conglutinatae. Asci late cylindrici, circiter 80 μ. longi, 25 μ. lati, late rotundato-obtusi, apice pachydermei. Sporae in ascis octonae, irregulariter biseriales, circ. 15 μ. longae, 8—11 μ. latae, i. e. ambitu late ellipsoideae, utrinque late obtusae, hyalinae et simplices.

Thallus tenuis, hinc inde saxum nubiloso-maculans, fertilis autem paulo crassior, solutione aquosa jodina distincte coerulescens, dein decolorato-vinoso-tinctus, K autem non mutatus. Lamina J pulchre coerulescit. — Species elegans, juxta *L. cinereo-rufescentem* locanda, a qua thallo et apotheciis differt. A *L. critica* Nyl. in Fl. 1864. p. 290 et Suppl. Lapp. p. 138 apotheciis haud emergentibus triplo minoribus differt, et a *L. deplanatula* Nyl. in Fl. 1864 p. 289 et Suppl. Lapp. p. 139, quacum etiam reactione jodina thalli convenit apotheciis et praesertim sporis parvis distinguitur. — Ambitus sporarum ut in Hepp Abbild. der Spor. d. Flecht. Europ. t. 85 n. 840.

Habitat in frigidis montis Dent de Morcles, loco dicto „Grande Vire," ubi leg. cl. et amic. Cas. de Candolle.

7. *Pertusaria degradata* Müll. Arg. Thallus tenuissime tartareus, minute rimoso-areolatus, griseo-plumbeus v. plumbeus, sublaevigatus; areolae tantum $^1/_4$—$^2/_5$ mm. latae, angulosae, planae v. subconcavae, margine subinde expallentes; hypothallus ater. Apothecia in areolis vulgo centralia, saepissime solitaria, $\frac{3\text{-}6}{20}$ mm. lata v. pr. p. verrucis thallinis nanis s. areolis magis convexis concoloribus v. apice aperiente albicantibus imposita, primum apice leviter emergentia, caeterum profunde immersa, apice hemisphaerica v. planiuscula, cinerascenti-subpulverulenta, mox nigra, caeterum ambitu orbicularia v. elliptica v. irregularia, evoluta thalli partem marginantem obtusissimam (nec acute prominentem) haud aequantia, leviter depresso-concava. Lamina subaltior quam lata, cum hypothecio albida; epithecium fuligineo-fuscum; paraphyses implexo-ramosae; asci 80—130 μ. longi, subcylindrici, leptodermei. Sporae octonae, 15—25 (—30) μ. longae, simplices, hyalinae, ellipsoideae, saepius duplo longiores quam latae.

Lichen extus omni jure vilis, difficile observandus, initia *Lecideae fumosae* v. *grisellae* v. etiam quodammodo *Lecanorae cinereae* simulans, sed fructificatio intus optime evoluta et omnino ut in genere *Pertusaria*. Verrucae thallinae raro et modice tantum

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03639-0470-8

evolutae sunt et apothecia ex areolis thalli more *Aspiciliae epuloticae* evadunt, primum punctiformia, opegraphoidea v. fere astroidea. Paraphyses anastomosantes, $2^1/_2$—3 μ. diametro aequantes, apice haud incrassatae, solutione aquosa jodina fulvescentes, K autem violascentes, asci juniores J pulchre coerulescentes, evoluti olivaceo — v. fusco-olivaceo — tinguntur. — A *P. chiodectonoide* Bagl. minutie partium externarum et sporarum, et a *P. inquinata* Th. Fr. Lichenogr. Scand. 1. p. 311 minutie partium et apotheciis immarginatis distinguitur. Proxima *P. nolens* Nyl. in Fl. 1864. p. 489 dein offert sporas majores et habitum *Lecanorae cinereae.* Ambitus sporarum ut in Hepp Abbild. Spor. Flecht. Europ. t. 89 n. 373 et similiter varians.

Habitat in monte Salève in lapidibus calcareis olim ut videtur igni expositis.

8. *Callopisma luteo-album β lacteum* b. *athallinum* Müll. Arg. Apothecia in macula albida elementis thallinis fere omnino destituta sessilia.

Praeter defectum thali cum *β lacteo* optime quadrat, et varietas *β lactea* ipsa, thallo albo — v. albido — subfarinoso distincta in vicinitate etiam occurrit.

Habitat ad saxa dolomitica in monte Reculet cum Callopismate aurantiaco δ macrocarpo (Placod. aurant. δ. macrocarpo Anzi) et Rinodina nigrella Müll. Arg.

9. *Callopisma aurantiacum* v. *hypoleucum* Müll. Arg. Thallus valde tenuis v. fere obsoletus, rimoso-furfuraceus, e particulis in hypothallo praedominante cum saxo conferruminato dense sparsis v. hinc inde confluentibus compositus, variegatus, subvitellinus v. saepius aurantiacus v. rubellus, areolae male definitae saepe quasi anastomosantes, nunc vage subpulveraceo-confluentes; apothecia $\frac{2}{10}$ v. rarius usque $\frac{3}{10}$ mm. lata, intense aurantiaca; sporae 7—11 μ. longae, oblongato-ellipsoideae, $1^1/_2$-plo v. saepius 2—$2^1/_2$-plo longiores quam latae.

Varietas valde distincta primoque intuitu tantum hypothallum album et apothecia exigua ostendens, sub lente autem vestigia distincta areolarum thalli, circa apothecia densiuscula, caeterum plus minusve laxa observantur. Formam quasi intermediam inter *γ velanum* et *δ placidium*, quoad thallum fere ad hypothallum reductam offert. Est quasi v. *Oasis* Mass. late effusa et quoad thallum magis reducta.

Habitat in saxis dolomiticis montis Reculet, ubi in vicinitate etiam var. *macrocarpon*, et *velanum* Mass. crescunt.

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03639-0471-4

10. *Callopisma variabile* v. *riparium* Müll. Arg. Thallus tenuis, primum continuus, mox tenuiter rimuloso-areolatus, flavicanti-cinereus, margine sensim evanescens; apothecia $\frac{3}{10}$ mm. v. rarius $\frac{4}{10}$ mm. lata, subconferta, adpresso-sessilia, sicca et madefacta nigra, plana aut subplana, margine flavicanti-cinereo cincta; sporae 13—18 μ. longae.

Habitus omnino ut in *C. variabili* v. *fulvo* (Pyrenodesmia fulva Anzi exs. n. 393), sed thallus flavicans, paulo distinctius rimoso-subareolatus et sporae leviter majores. Lamina superne K laete violaceo-tingitur. Apothecia dein humectata nec convexa nec livida evadunt. Varietas satis elegans.

Habitat ad saxa alpino-calcarea subinde inundata secus flumen Arve prope Genevam, cum Callopismate converso et aliis rarioribus.

— — v. *confertum* Müll. Arg. Thallus areolatus v. depauperatus, cinereo-olivaceus v. olivaceo-subnigricans; apothecia conferta, quasi in insulas maculiformes disposita, saepe mutua pressione angulosa, parva, vulgo $\frac{3-4}{10}$ mm. lata, atra, opaca, margine obsure olivaceo cincta.

Simile *C. variabili* var. *neglecto* (Catillariae neglectae Körb. Par. p. 194), sed margo distincte thallodes etiamsi obscure tinctus, discus pallidior. Lamina K superne amoene violaceo-tingitur. Sporae omnino ut in reliquis varietatibus speciei, sed dissepimentum saepius, non semper, tenue ut in „Catillaria."

Habitat ad muros siccos inter pascua alpina montis Salève, ad lapides calcareos, cum Rinodina Bischoffii β immersa.

— — v. *Anzianum* Müll. Arg. Syn. Placodium Agardhianum Anzi exs. n. 37, saltem in meo herb. Omnia ut in var. *conferto*, sed thallus pallidior et praesertim apothecia multo majora, i. e. $\frac{5-10}{10}$ mm. lata, elato-sessilia.

Habitat ad saxa calcarea territorii Bormiensis: cl. Anzi l. c.

11. *Callopisma* (sect. *Semilecania*, sporis 2-loc.) *genevense* Müll. Arg. Thallus effusus, tenuis, tertareo-leprosus, rimulosus v. demum furfuraceus magisque nigricans, hypothallo limitante destitutus, areolae planiusculae, demum contracto-subfurfuraceae. Apothecia adpresso-sessilia, $\frac{3-4}{10}$ mm. lata, plana v. leviter convexa, fusco-atra v. livido-atra, opaca, margine thallino subcrenato obscure cinereo cincta v. demum fere immarginata; hypothecium hyalinum, lamina vitreo-hyalina, superne subviolaceo-fuscidula, circ. 45—50

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03639-0472-0

μ. alta; paraphyses apice capitato-clavatae et subviolaceo-fuscidulae, superne facile segregandae et articulatae; asci 35—40 μ. longi, obovoideo-cylindrici, rotundato-obtusi, apice pachydermei. Sporae in ascis octonae, hyalinae, biloculares, 6—10 μ. longae, 2-plo v. rarius 2½-plo longiores quam latae, utrinque obtusae, medio distincte sed leviter constrictae.

Thallus nec K nec C peculiariter tingitur et lamina solutione aquosa jodina post levem et sordidam coerulescentiam e cupreo v. vinoso rubescit. Apothecia similia iis *Rinodinae demissae*, sed margine primum pallidiore v. fere albo cincta sunt. — Juxta „*Biatorinam proteiformem*, et *B. Turicensem*" et „Rinodinam" polycyclam Anzi inserenda est, a quibus thallo, apotheciis semper planis aut subplanis, aliter coloratis, haud helvolis imove pallidioribus, margine crenato et ambitu latiore obtusiore sporarum distinguitur. Ex his speciebus caeterum „*Biatorina*" *proteiformis* f. *lecideina* Mass. Lich. exs. n. 144 sola habitu propius accedit, sed haec madefacta apothecia offert fusca, aliter marginata, alte convexa, sporas utrinque acutiores, medio haud constrictas et laminam apice fulvo-fuscidulam et solutione Jod. aquos. intense coerulescentem. Similiter etiam a subsimili *Rinodina polycycla* Anzi Venet. n. 71 differt. — Apothecia demum fere omnino immarginata occurrunt et Lichen tum caute a *Patellaria riparia*, infra exponenda quacum permixtim crescit, distinguenda est, at hypothecio hyalino, ambitu et magnitudine sporarum et thallo tenuiore demum obscuriore discernitur. — Ambitus sporarum ut in Hepp Abbild. Fl. Europ. t. 87. n. 764.

Habitat copiose ad lapides majores calcareos nigricantes subinde submersos v. saltem aqua adspersos in ripa Arve prope Genevam, cum *Patellaria riparia*, *Verrucaria catalepta*, *Psorotichia Flotoviana* (vide infra), *Lithosphaeria Geisleri*, *Lecidea rupestri* v. *areolata* (vide infra) aliisque rarioribus.

12. *Callopisma* (sect. *Semilecania*) *Rabenhorstii* δ *minutum* Müll. Arg. Thallus tenuis, subceraceo-tartareus, saepe rimulosus, e pallide argillaceo-fusco albescens; apothecia tantum $\frac{2-3}{10}$ mm. lata, adpressa v. sessilia, fusco-nigricantia, convexa, albido-marginata v. demum ex parte immarginata.

Varietas optime distincta, primo intuitu speciem propriam simulans, attamen intus perfecte cum *C. Rabenhorstii* quadrans. Thallus ut in Lecanora minutissima, sed minus albicans. De

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03639-0473-6

eadem jam mentionem fecit cl. Krempelh. Lichenenfl. Bay. p. 219, sub *Biatorina Rabenhorstii* v. *miruta* Hepp hb.

Habitat in monte Salève ad lapides calcareos supra vicum Monnetier ad pedem rupium, nec non in dolomiticis prope Eichstaedt Franconiae ubi leg. cl. et amic. Arnold, qui olim sub n. 437 cum Dr. Hepp communicavit.

Observ. Ab hac specie non satis differt *Biatorina inundata* Körb. Par. p. 145 (Zwackh n. 258!), nec nisi sub varietatis titulo, si placet, servari potest. Thallus valide evolutus est, apothecia subfusca v. fuscescentia, lamina superne pallide fuscescens. Reliqua haud recedunt: *C. Rabenhorstii* v. *inundatum* Müll. Arg.

13. *Callopisma* (sect. *Eulecania*) *suave* Müll. Arg. Thallus effusus, verrucoso-glebulosus, olivaceus, dein albescens demumque copia apotheciorum obliteratus, glebulae discretae v. subcontiguae, hypothallo carneo-albescente conjunctae. Apothecia $\frac{3-5}{10}$ mm. lata, densa, elato-sessilia, juniora carneo-albida v. carneo-virescentia, plana, margine olivaceo v. saepe pallidiore integro haud prominente cincta, dein helvolo-fuscescentia et virescenti-albido-marginata, plano-convexa, demum magis nigricantia et margine quasi destituta, semper nuda v. subnuda. Lamina sporigera 60 μ. alta, superne cum epithecio cerasino-fuscescens, caeterum cum hypothecio albo hyalina; paraphyses conglutinatae, apice modice incrassatae; asci obovoideo-cylindrici, apice valde pachydermeo-incrassati. Sporae in ascis octonae, 12—16 μ. longae, circ. $3^1/_2$ μ. latae, rectae v. leviter arcuatae, utrinque vulgo obtuse angustatae, 4-loculares, hyalinae. Gonidia globosa, circ. 12—14 μ. diametro aequantia, laete viridia, nucleo distincto praedita. Spermatia tenuissime baculiformia, arcuata.

Lichen madefactus statim odorem valde suavem submelleum spirat. Lamina sporigera solutione aquosa jodina intense et pure coeruleo-tingitur. — A *Lecania Nylanderiana* Mass. differt thalli forma, colore et odore, apotheciis nudis multo minoribus et versicoloribus et sporis ambitu multo angustioribus. Juxta *Lecaniam odoram* Bagl. et Carest. in Comment. critt. ital. 1. p. 441 (1864) locanda est, a qua, ex descriptione, thallo et ascis differt. Reliquae species novae hujus gregis a cl. Bagl. l. c. editae *(L. diplotommoides, L. Picconiana, L. Cesatii, L. Opuntiae)* magis recedunt. — Apothecia evoluta extus prima fronte formam microcarpam obscuram *Biatorinae* proteiformis simulant. Forma nigrata dein etiam

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03639-0474-2

Rinodinam nigrellam, eodem loco crescentem, mentitur. — Ambitus sporarum ut in Hepp Abbild. Fl. Europ. t. 53 n. 458.

Habitat in saxis dolomiticis montis jurassici Reculet.

14. *Rinodina Bischoffii* v. *intermedia* Müll. Arg. Thallus albicans, vage effusus v. demum obsoletus. Apothecia $\frac{4-7}{10}$ mm. lata, vage sed densiuscule dispersa, immersa v. leviter emergentia, margine fere nigrato cincta.

Differt a forma genuina speciei apotheciis immersis fere nigris, et a reliquis var. a me antea distinctis et in hoc Diario descriptis (conf. Fl. 1867 p. 435 et 1870 p. 258) apotheciis multo majoribus.

Habitat ad saxa calcarea, in monte Reculet prope Genevam altit. circ. 4500-pedali, et in monte Grand Muveran altit. 6000-ped.

(Fortsetzung folgt.)

Robert Wight, Nekrolog.

Nach „Gardener's Chronicle"; 1. Juni 1872).

Mit grossem Bedauern melden wir das Ableben des greisen indischen Botanikers Robert Wight; er starb in seiner Wohnung zu Grazeley Lodge bei Reading, den 26. Mai d. J.

Die, welche mit den riesigen Arbeiten unserer indischen Botaniker bekannt sind, brauchen nicht daran erinnert zu werden, dass Dr. Wight nicht der letzte unter dieser aufopfernden Schaar war. Wenn es noch eines Beweises bedürfte, dass die Tropen nicht absolut und in allen Fällen europäische Energie lähmen, so würden die Leistungen der glänzenden Reihe indischer Botaniker von Roxburgh bis auf Wight einen solchen liefern, ohne andere noch lebende zu erwähnen, welche ebenso sehr zur Entwickelung indischer Hülfsquellen und Einführung werthvoller Kulturpflanzen, wie Baumwolle, Thee, Chinarinde etc., als zur Bereicherung der Botanik beigetragen haben.

Dr. Wight wurde den 6. Juli 1796 zu Milton, Duncra-Hill, Ost-Lothian geboren; sein Vater war Schreiber beim geheimen Siegelbewahramt von Edinburgh. Der junge Wight studirte auf der Hochschule zu Edinburgh und promovirte daselbst als Doktor der Medizin im Jahre 1816. Nachdem er als Schiffsarzt ein oder zwei Seereisen gemacht hatte, ging er 1819 nach Indien, Präsidentschaft Madras. Anfänglich war er Vorstand des botanischen Gartens zu Madras, später erhielt er eine Stelle als Natur-

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03639-0475-7

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: Flora oder Allgemeine Botanische Zeitung

Jahr/Year: 1872

Band/Volume: 55

Autor(en)/Author(s): Müller J.

Artikel/Article: Lichenum species et varietates novae 465-473